



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

IV. De superbia Graecorum contra Latinos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

si quis ibidem hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta Conuenticula celebrantes, seu a communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos episcopo studeat indicare. Ipse autem episcopus ad præsentiam suam conuocet accusatos, qui nisi se ab obiecto reatu purgauerint, vel si post purificationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonice puniantur. Si qui vero ex eis iuramenti religionem obstinatione damnabili respuentes iurare forte noluerint, ex hoc ipso tamquam hæretici reputentur.

Volumus igitur & mandamus, & in virtute obedientiæ districte præcipimus, vt ad hæc efficaciter exequenda episcopi per dioceses suas diligenter iuuigilent, si canonicam effugere voluerint violationem. Si quis enim episcopus super expurgando de sua diocesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit vel remissus, cum id certis indiciis apparuerit, & ab episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere prauitatem.

## IV.

Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam sedis apostolicæ reuertentes fouere & honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendo, in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus quæ periculum generant animarum, & ecclesiasticæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis ab obedientia sedis apostolicæ se subtraxit, intantum



ANNO  
CHRISTI  
1135.

Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tamquam per hoc inquinata lauissent. Baptizatos etiam a Latinis & ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, & adhuc (sicut accepimus) quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab ecclesia Dei scandalum amouere, sacro suadente Concilio, districtè præcipimus vt talia de cetero non præsumant, conformantes se tamquam obedientiæ filii sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matri suæ, vt sit vnum ouile, & vnus pastor. Si quis autem quid tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio & beneficio ecclesiastico deponatur.

v.

Antiqua patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali Synodo approbante, fancimus vt post Romanam ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate, ita quod postquam eorum antistites a Romano pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pal-

X iij